

† R. P. Paulus Dotterweich (1861-1926).

(*Prov. Germ. Inf.*)

† R. P. Paulus Dotterweich (1861-1926).

(*Prov. Germ. Inf.*)

Die 10 Dec. 1926 Augustae Treverorum (*Trier*) corpus defuncti Patris Pauli Dotterweich ad antiquum coemeterium iuxta Sancti Paulini elatum est permagna comitante turba. Aderant omnes parochi urbani, plures Seminarii maioris professores, permulti alii presbyteri, deputati ex cunctis religiosarum familiarum urbis communitatibus, ingens fidelium multitudo.

Confrater vita functus, etsi propter pectoris debilitatem non fuerat clarus orator, tamen assidua in sacro Tribunali opera mirum quantum in vinea caelestis patrisfamilias laboraverat.

P. Paulus (ita vocari solitus est) fuit natione Bavarus, natus Bambergae d. 21 Maii 1861. Pugna exorta in patria contra religionem catholicam,



quam vulgo *Kulturkampf* dicunt, venit in Belgium et ingressus est novitiatum Provinciae Germaniae Inferioris in Tavigny d. 7 Nov. 1878. Professionem religiosam fecit die festo Immaculae Conceptionis anno sequenti. Deinde incubuit studio philosophiae et theologiae in studentatu Luxemburgensi. Presbyter ordinatus d. 26 Maii 1888, in iuvenatu Vaalsensi docuit grammaticam et rhetoricam usque ad annum 1903. Inde translatus est in collegium Lectorum studentatus Geistingensis, ubi professus est historiam ecclesiasticam et Scripturam Sacram.

Denique d. 6 Sept. 1908 venit in domum nostram Trevirensis, in cuius ecclesia S. Iosephi sacra usque ad mortem omnibus nervis Deo et animabus ministravit.

*Erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum* (Job 1, 1). Non captabat laudem neque privato suo commodo serviebat, sed expetebat solam Dei gloriam et salutem animarum. Similis infantis fuit, mansuetus atque minime suspiciosus. Imprimis ei curae erat, ut officia sua sacerdotalia et religiosa impleret. Magna cum dignitate et pietate sacrum faciebat. Singulis sabbatis et vigiliis dierum festorum aliisque diebus multis totum fere tempus in audiendis confessionibus conficiebat, quapropter his diebus una hora prius surgebat, ut exercitia religiosa et divinum officium non interpellatus perficere posset. Divinum officium flexis genibus dicere consueverat.

Quod praeter orationem et ministerium apostolicum supererat temporis, id tribuebat litterarum studio. Libri eum summe delectabant eosque tamquam gemmas aestimabat. Codex vetustus ac deformis a glutinatore restitutus gaudio illum permagno afficiebat. Novissimum volumen Bollandistarum, quod vitas continet lingua antiqua indigena conscriptas, maximo ab eo desiderio e glutinatoris officina expectabatur. Duobus diebus antequam e vita discessit, animum alicuius confratris convertit in pretiosum codicem in cubiculo suo collocatum. Saepenumero inter ientaculum in manibus habebat librum doctum, quo animum alebat; ita avidi erant lectionis oculi eius. Contiones et disputationes doctas libenter frequentabat iisque se quandoque interesse non potuisse dolebat. Maxime delectabatur studio theologiae dogmaticae, cuius disciplinae quaestionibus argutissimis assidua cura incumberebat. De rebus dogmaticis et biblicis summa confratrum audientium admiratione disserebat. Instructus erat linguis orientalibus: hebraica, syria,

coptica, armenica. Antiquitatis et historiae artis studium multum colebat, cui antiqua Treverorum urbs copiosum praebebat nutrimentum. Rarissime deambulatum domo exibat, fere ad aegrotos visendos; sed loca, ubi monumenta antiquitatis effodiebantur, inspicere in deliciis habebat.

Quamvis non laboraret falsa anxietate, tamen munus confessarii illi fuit laboriosissimum atque gravissimum. «Timeo, ne peream (inquit) propter tot confessiones». Ita eum premebat periculum istius muneris spinosi et momentosi. Verumtamen Deo confisus impiger continuabat opus suum, et undique, vel ex dissitis locis, cum laici tum maxime sacerdotes summa cum fiducia ad eum confluebant. P. Paulus in numerando utebatur illò mechanismo simili horologio, et singulis sabbatis in directorio suo numerum confessionum elapsa hebdomade exceptarum notare solebat. Quid inde elucet? Defletus confrater, cui semper valetudo infirma, annuatim (mirabile dictu!) tricies millies et ultra (30.000-35.000), ergo duodeviginti ultimis vitae annis quingenties millies (500.000) et amplius sacramentum Poenitentiae administravit. Quanti meritorum caelestium thesauri his numeris innuuntur! At etiam quot quantaque sacrificia! Nonne desideratissimus P. Paulus quoddam incruentum martyrium subiit?

In cubiculo igitur, ecclesia, bibliotheca versabatur, locutorium invitus et perraro ingrediens. Ianitori vocanti se: «Remitte mihi (inquit) quaeso, locutorium».

Anno 1921 adscriptus fuit domui Bonnensi ut Consultor Rectoris. Verumtamen Rector Trevirensis cum suo Consilio imploravit Rm̄um Patrem Generalem, ut remaneret dilectus Pater in domo Trevirensi; qui votis assensit. Igitur P. Paulus Treveris perseveravit, voluntatem Dei adorans. «Bonum est (inquit); etiamsi succumbo labori».

Exeunte mense Novembri 1926 plurimo labore in ecclesia detentus cubiculum suum non calefecit et gravi morbo pulmonum inde correptus est. Dolores patiebatur admirabili cum animi tranquillitate et constantia, sine lamentis, sine querela, sine vestigio impatientiae. Per quinque dies lecto affixus, magna pietate recepit sacramenta morientium ac vota religiosa renovavit. Tertio die post (vix translatus in nosocomium Fratrum Misericordiae) inopinato impetu sanguinis suffocatus est, pridie festum Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae.

Quanta cleri populi que frequentia funus sit nobilitatum, iam initio dictum est. Epistolae quoque condolentes plurimae ad collegium Trevirensis missae sunt, etiam ab iis qui ecclesiastica aut civili dignitate pollent. Quanto vero affectu grati poenitentes confessarium suum mortuum prosequerentur, ostenderunt tot lacrimae ad eius sepulchrum fusae, frequentes tumuli visitationes, ornamenta ibi sponte apposita. Missarum elemosynae pro dilecto confessario a fidelibus primis post eius mortem quinque mensibus amplius quingentae (500) oblatae sunt, semperque novae cum plurimis

« boni Patris Pauli » laudibus offeruntur. Non est igitur quod Redemptorista humilis regibus et principibus terrae invideat, cum quoddam cordium regnum ei obtigerit.

Have, pia anima! In te, digno Doctoris zelantissimi et S. Clementis filio, denuo verificetur illud: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos* (Ps. 125, 7).